

TRANSLATIO SANCTI IACOBI APOSTOLI

I. ¹Incipit translatio sancti Iacobi apostoli.

²Spiritum Sanctum Paraclitum per os Daudid beati prophete dudum prelocutum fuisse nouimus et cotidiana ammonitione audimus hanc esse gloriam omnibus sanctis, ut laudetur Deus in ipsis. ²Vere siquidem et ad laudem ecclesie summi regis hoc ipsum proficere scimus, dum magnificentia fortitudinis pretiosorum militum suorum ante ipsum excellenter recensetur, ³ergo nos, tantis ac innumeris Scripturarum sanctarum edocti premonitionibus, secundum fragilitatis nostre modulum Dominum in sanctis suis gloriosum plene laudare studeamus ⁴ac memoriam mirabilium suorum totis nisibus in nobis extollere gaudeamus, quia haec est gloriatio diligentibus nomen Dei. ⁵Exultent ergo iusti in Domino, quia ipsos rectos recte decet laudatio; exultemus et nos Dominum in ipsis laudando, ut quam non meremur precibus eorum nos decere possit laudatio. ⁶Et quia beato Raphaelae archangelo docente didicimus occultiora regis consilia non detegenda, archana autem misteriorum Dei honorabile ac dignissimum esse fidelibus reuelare, ⁷seriem translationis corporis beatissimi Iacobi apostoli, a loco in quo passus est, in eum quo nunc iustissima Dei preordinante prouidentia requiescit, ⁸strictiori licet stilo, hebetiori quoque sensu, ad tanti apostoli laudem et ecclesie, utque foris Dominus Sabaoth in suis glorificetur militibus, indagare fidelibus decreuimus.

II. ¹Igitur post admirandam et adorandam Domini nostri Iesu Xpisti in celis ascensionem, antequam sancti apostoli predicationis gratia secundum Domini Iesu preceptum dispergerentur in mundum, ²Deo dilectus apostolus Iacobus, omnium apostolorum primus, uelut athleta fortissimus martyrii coronam suscepit promptissimus, ab Herode nequissimo rege interemptus, ³qui non multo post angelo Dei percutiente ad nichilum est redactus; periit ergo eius memoria cum nomine. ⁴Iustus autem est in commemoratione sempiterna et laus eius in ecclesia sanctorum et congregatione. ⁵De cuius apostoli sanctissimi effusione sanguinis, quia iam latius atque lucidius tractatum est a uiris eloquentibus, nos omnino suppressimus: ⁶translationis ipsius tenorem quam scribere disposuimus, nunc adoriemur.

III. ¹Ordine quo diximus, Dei dilecto Iacobo calice passionis Iesu Xpisti Domini potato atque gloria et honore a Deo iusto retributore coronato, ²beati discipuli sui sanctissimum thesaurum, illum magistri uidelicet corpus, prout res tempus exegit, terre occuluerunt latebris, ³merentes ad tempus de absentia pii doctoris, letaturi postmodum unanimiter in presentia egregii pastoris. ⁴Siquidem benignissima creatoris et reformatoris

omnium Dei omnipotentis miseratio, ne clarissimum mundi lumen diutius terre absconderetur in antro, ⁵incomprehensibili sua sapientia quam nemo principium huius mundi cognoscere potuit, fidelibus suis innotescere uoluit quo ordine tante lucis claritas seculi huius irradiaret tenebras. ⁶Mirabilis itaque in sanctis suis Deus mirabiliter mirabilem hunc Iacobum apostolum pusillis corde se metuentibus hoc reuelauit modo.

IV. ¹Cum totus mundus iugo demoniade seruitutis teneretur depressus tenebrisque ignorantie sue esset obcecatus, ²sanctissimi apostoli iuxta Domini saluatoris edictum a sue perfidie squalore eruere cupientes in uniuersis mundi partibus in fide Xpisti fortissimos et lege sancta doctissimos euangelizare diuini uerbi gratiam direxerunt uiros. ³Vnde factum est ut prudentissimum omnique militia spiritali instructum eligerent uirum Tesifontem sanctissimum, quem ordinauerunt episcopum, adiunctis sibi coepiscopis sociis in hoc opere satis strenuissimis. ⁴Hi missi Domini ad Hispanias delegantur, quo barbare gentis saxea corda unguine sancti Spiritus delibuta mollescerent gratiam Xpisti susceptura. ⁵Qui uerissimi et rectissimi Xpisti famuli iniunctam sibi predicationis gratiam ocus implere cupientes nauali euectione illuc properare satagunt. ⁶Aptata itaque nauicula et quae sibi uidebantur necessariis impositis, subito diuine dispensationis munere sibi collatum consilium ineunt ut corpus sanctissimi Iacobi secum deueherent, ⁷quatenus dum ipsi predicationis officio sollicitius intenderent, sancto splendente miraculis apostolo, effere nationis hominum mentes ad baptismatis fidem suscipiendam paulatim mansuescerent. ⁸Quod et factum est, ut patefacient sequentia.

V. ¹Etenim beatus Tesifon cum sociis ad sepulcrum properans gloriosi apostoli, cum ingenti deuotionis honore et tremore inestimabilis pretii pretiosissimam margaritam a loco terre humili sustollentes, ²cum magno et spiritali tripudio in hymnis pie iubilationis conlaudantes Dominum decenter in naui composuerunt sua. ³Ergo absque remige, absque naucleri iuuamine, inscii naucleri mari, conscio cuius uectabant ossa, ⁴se credentes sola Dei manu ductrice sex dierum circuitione in maris procellis usque ad locum a Deo sibi ante mundi constitutionem preelectum nauis ferebatur certissime. ⁵O mira Dei potentia! O mira archane uirtutis eius mysteria! Ecce etenim rediuiua prioris seculi exoriuntur miracula. ⁶Qui enim dudum super undas diluuii archam ne mergeretur gubernauit, mirabilis in altis Dominus, inter mirabiles elationes maris in translatione sui dilecti Iacobi nauem sanctissimum ferentem thesaurum ne marinis obsorberetur fluctibus excelso suo brachio protexit, et mirabiliter quo uoluit exposuit. ⁷At uero mirandum satis erat tam immensum profundum abyssi pelagus, tanta infinita equoris spatia ab ignaris sub breuissimi temporis spatio peruolasse, ⁸nisi quod ille qui mensus est pugillo aquas et molem terre

tribus digitis adpendit, hec impleuisset meritis Iacobi apostoli. ⁹Ne denique memoria ipsius solummodo dilataretur in terris, constituit quo[d] etiam mare illi preberet testimonium, ¹⁰ut quem sibi dilectissimum fecerat, iam in celis gloriosum miraculis choruscantibus terra marique redderet honoratum.

VI. ¹Nec hoc sine mysterii intellectu: senarius numerus in sacris Scripturis erumpnas et fluctuationes huius seculi crebro signat; septimum requietioni donat. ²Sex diebus summi opificis manus quicquid creatum fuit et est decenter et ornatè instituens uaria donorum et bonorum suorum munera nobis conferens septimum sacrauit requiei sue. ³Cessantibus diluuii aquis columba per fenestram emissa septima die ramusculum pacifere rostro ferens oliue placatum Dominum et terris pacem datam denuntiat. ⁴Sexta etate in qua nunc laborantes ducente Deo tendimus ad requiem perfecte beatitudinis, donec occurramus in gloria resurrectionis Domini nostri Iesu Xpisti, mirabilia demonstrauit Deus seruis suis dum corpus transferetur Iacobi apostoli et martyris. ⁵Senario denique dierum numero in mari, ut dictum est, fluctuantes eius discipuli septimo Dei dextera gubernante requieuerunt in portu qui Birisuus nuncupatur, ⁶eo quod inibi in mare bini profluant riui, ubi ostendit Deus futuris seculis quanti apud se apostolus suus haberetur meriti. ⁷Subito namque a conspectibus intuentium sublatus atque usque ad poli centrum splendore igneo rutilans est eleuatus, et ad locum sue tumulationis proximum propitia diuinitate sibi concessum inenarrabili claritate conspicuus deuenit. ⁸Nec hoc incredibile cuiquam debet uideri. Qui enim theologum Ioannem, prerogatiua singularis dilectionis sibi unitum, miro quo uoluit modo in celis assumpsit; ⁹potuit et fratris eius sanctissimam glebam inedicibili uirtute sua de loco ad alterum transuehere. ¹⁰O Dei et Domini nostri mira et miranda uirtus, mira dispensatio, mira operatio, qui omnia quecumque uoluit fecit in celo, mari et terra! ¹¹Beatus autem Tesifon cum sociis pauentes tanto carere celitus sibi collato dono, flentes et merentes atque Dei piissimi misericordiam semper orantes ¹²ad locum tumulationis apostoli Dei angelico ductu, utpote ignari locorum, propere accedunt, duodecim milibus ab ipso distantem maris freto.

VII. ¹Degebat eo loci, in extemis uidelicet Gallicie finibus, gentilis et nobilis matrona, quae erat multe familie et amplissimi fundi posesor et domina. ²Hec in idolio suo multa simulachra demoniorum recondita habebat, quae sepiissime adorabat, ³quia factorem et creatorem suum Dominum uerum ignorabat, quem nec nominare hactenus audierat. ⁴Hec secundum proprietatem linguae ferocissime gentis suae, ferali et rabido atque superbo nuncupabatur nomine, nam Luparia dicebatur. ⁵Nec immerito, nam sicut beatum Paulum ex tribu Benjamin exortum, qui prius Saulus dictus est, sepius in sacris

uoluminibus lupi cognomine ob nimiam in Xpistianos crudelitatem inuenimus descriptum, ⁶prius enim circumcissus extitit superbus, postea autem baptizatus humilis est factus, ⁷sic et <et> hec gentilis mulier prius superbiendo desipiens et secundum uocabulum sui Xpisti seruos ore rabido execrando uehementer deterrens, ⁸postea autem Spiritus sancti inspiratione illuminata, ferocitatem belluinam trucis deponens animi, lota lauachro salutari, ⁹ubi omnes ueterem hominem deponentes nouum induuntur, agnorum Xpisti est sociata collegio.

VIII. ¹Comperta itaque predicti uenerabiles uiri huius nobilissime mulieris amplissima fama, multa Dei fiducia fisi adeunt illam oraturi ut in fundo quem tenebat facultas sibi concederetur ossa tumulandi apostoli beati. ²Quos illa, rigide mentis uesania, acerbissime execrans et execrando refutans, insani furoris typho repleta, ad regem terre illos talia petituros properare ocius iubet. ³Qui, nihil cunctati ut mandatum eis erat, sollicite perquirere regem satagunt. ⁴Quo reperto, proponunt illi de fide sancta sermonem, simulque orando satis ingeminant preces dari sibi locum apostolici corporis sepulture aptum. ⁵Ergo rex truculentus gentilitatis erroris deditus, uenerabilium uirorum auditis uerbis et precibus, cognoscens eos Xpisticolas esse (iam enim Iesu Xpisti Domini nomen in totam mundi latitudinem diffusum erat) ⁶exacerbatus nimium, cupiens uindicare in ipsis non solum que petebant prestare noluit, uerum prauo corde, malo ore, peruersa actione, interimi eos iussit, nesciens miser imminere sibi uelocius uindictam solius regis Dei.

IX. ¹Sanctitatis autem ministri fragilitate carnis addicti fugam capessunt, inscii mirande uirtutis Dei que in ipsis per ipsum apostolica interuiniende declaranda erat gratia. ²Nimirum uero si carnales carnaliter metuebant, cum patres multos instantiam legamus deuitasse gladii non timore perculsi passionis, sed ad meliora se seruantes gratia predicationis ac roborande fidei, ³haec uero omnia agebantur ut amplior magnificentia apostolice dignitatis claresceret adhuc per impiam impiissimi regis temeritatem. ⁴Nempe merentium consolator Deus, qui contritis corde medetur, cuius oculi sunt super eos ut eruat eos a morte, super iniustos autem ut disperdat eos de terra, pro certo ostendit quia non aliquando saluatur rex fidens in multitudine uirtutis sue. ⁴Denique sancti illi per uiam qua uenerant reuertentes deuenerunt ad fluuium Thare dictum, in portum Nicrarie, ⁵iuxta quem erat fons satis amplissimus arcuato opere saxeo ambitu circumseptus, penes quem publica discurrebat uia, in quem delitescere cupientes introgressi sunt. ⁶Sed repente mutato consilio, ut plenior magnificentie gloriam gloriosus in seruis suis demonstrat Iacobus apostolus, presago spiritu inde egressi sunt.

X. ¹Vt uero cognouit pestifer rex sub umbra alarum protectionis Dei sanctos clam effugisse, dum sitit sanctorum sanguinem, non ualens ferocitatem prauissimi lenire animi, collecta militari manu, sicut equus effrenis ruens, iusto se Dei prosequente iudicio, non destitit donec in precipitium sempiternum cum suis omnibus caderet. ²Estimans enim iustos in prescripto fonte absconsos cum suis comitibus ingressus est intus. ³Ecce uero multiplici Dei uirtute, cuius immense fortitudinis et sapientie non est finis, qui reprobat consilia principum et deducit consilia eorum in finem stultum, egregio orante Iacobo apostolo, omne illud edificium <s>cripte huius, quod in tante perstiterat seculorum soliditate miro modo subito corrui. ⁴Et qui simplices et innoxios opprimere moliebantur, tanta ruina oppressi in profundum abyssi sunt demersi, ut patenter innotesceret condolere uenerandum apostolum Iacobum contumeliis seruorum suorum.

XI. ¹Tunc liberati sublimi Xpisti potentia discrimine tanto isti nouelli filii Israel, transito quasi altero mari rubro, repedarunt alacres carmen illud Mosaicum Deo decantantes: *Qui excelsum dudum Faraonem et exercitum eius submersit in mare*, sed sanctorum a bone actionis rectitudine deuiare nescius. ²Spiritu sancto premoniti, prescriptam rursus adeunt mulierem sollicite eam premonentes de tumulatione uenerabilis apostoli; ³at illa necdum uerbis eorum credula, sed adhuc impenitens et more elati Faraonis obduratum cor habens, donec mens sua ampliori gratia apostolicorum signorum reuerberaretur, conspiciens eos flentes dixit illis: “In montem hunc proximum qui Illicinus dicitur armenta nostra pascuntur”. ⁴Erat enim ipsis more gentis sue pollens copiosa multitudo que passim per lati soli marginem absque pastore, utpote agrestia, quo libebat discurrebant. ⁵“Euntes ergo illud, quotquot cupitis tollite; et quo uobis corde fuerit, ducite; et in ipsis laborantes operam impendite aptari domum, ut dicitis, apostoli uestri”. ⁶Hec dixit diffidens illos agere posse, ignara uirtutis Dei, qua omnia creata subiecit sub pedibus metuentium se. ⁷Contiguus est prefatus mons sanctissimo et uenerabili totoque orbi summe deuotionis plenitudine excolendo loco in quo celestis thesaurus, corpus sanctissimi Iacobi, decenter et honeste in marmoreo mausoleo conditum est. ⁸Vocatus est autem ante mons Illicinus, nunc uero Sacer dicitur ob glorificationem apostolicorum signorum que Dominus per excellentissimum apostolum Iacobum fidelibus suis declarare dignatus est.

XII. ¹Presumpserat enim sibi plurimam partem supradicti montis quasi in possessionem immanissimus draco, qui omnes circum se positos pagos horrendo et horribili flatus sui anhelitu exinaniuerat, omnes extinxerat, animantia deglutierat et reliqua omnia protriuerat. ²Gradiebantur itaque sancti illi per ascensum montis, donec ad

locum deuenirent quo illa sanguinaria et trucissima iacebat belua. ³Quos presentiens, eleuato capite, impetum direxit in eos cum multo stridore insibilans. ⁴Tunc apostolici discipuli fide Dei firmi, nichil hesitantes, absque errore permanentes, munimine armati inuictissimi uexilli salutifere crucis, apostolica defensoris sui protecti gratia, inuocata maiestate Iesu Xpisti, beate signum crucis obtutibus opponunt aduersarii; ⁵at ille non ferens uim uirtutis Dei et Iacobi apostoli gloriosi uelut fumus periit a facie terre. ⁶Et nimirum si a conspectibus inquirentium Deum fugatus est draco, quia ipse pollicitus est eis super serpentes et scorpiones impune gradituros.

XIII. ¹Erepti ab imminente tante cladis exitio, liberatori suo omnipotenti Deo magnificas grates, protectori suo Iacobo apostolo deuotas laudes et reddiderunt unanimes. ²Exhinc factus est mons ille ante funestus, mons Dei, mons sanctus, mons sanctificationis pinguedine inexhausti olei, opere scilicet misericordie indeficientis, ³mons in quo placuit Deo inhabitare, quia Deus noster, qui perforauit maxillam Leuiatham, operatus est salutem in medio terre sue confringendo caput draconis antiqui. ⁴Sic impleta est Scriptura, quia in cubilibus draconum animalia Dei requiescent, qui non habitauit ibi amplius mala bestia; et qui liberati fuerint, uenient in monte Sion laudantes Dominum.

XIV. ¹Exinde bone uoluntatis affectu ceptum prosequentes iter tandem diu quesita reperiunt animalia. ²Que dum comprehendere nisi essent, effugiendo manus eorum a conspectibus ipsorum delapsa sunt, indomita quippe erant. ³Estimauerat sepe scripta mulier, infidelitatis adhuc caligine obtenebratum habens cor, seruos Xpisti se decipere posse, donec omnipotens, qui in sanctis suis semper gloriosus permanet, ostenderet illi quod nulla aduersus eum preualeat fortitudo, nullum sit utile consilium. ⁴Deridetur enim, ut propheta denuntiat resurrectionis, iusti simplicitas, lampas contempta apud cogitationes principum parata ad tempus statutum. ⁵Denique sanctorum corda ab amore Dei numquam discrepantia, cum se delusos esse a muliere intellexissent, ad orationum sanctarum solita se conuertunt munimenta, pia supplicatione sanctam exortans maiestatem simulque patroni sui incliti Iacobi apostoli gloriosa poscentes suffragia, ⁶ut illam celestem mirandorum signorum clarificationem, quam hactenus exercuerat, tunc quoque ostendere dignaretur, ne illusio essent gentium dicentium: *Ubi est Deus eorum?*

XV. ¹Tunc demum spe celesti animati et robore fidei Xpisti confortati, resumentes animi constantiam rursus ad eadem perquirenda iumenta se preparant. ²Confestim Dei omnipotentis, qui prope est se fideliter requirentibus et uoluntatem ipsorum perficit largitor promptissimus, prosperante actione, reperta animalia sub manibus eorum sunt edomita; ³sicque libere quo uoluerunt deduxerunt et ad eam que se miserat gaudentes

reuersi sunt. ⁴Interea uisis tot miraculorum signis, ea matrona, non iam Lupa dictura, quippe ouis Xpisti mox erat futura atque gregi ecclesie sociatura, que ante reniti conabatur presumptione preualida, corde et ore est compuncta: ⁵terrebat eam uelox regis sui submersio, pauebat belue crudelis subitam deiectionem, mirabatur iumentorum suorum emollitam ocus acerrimam feritatem. ⁶Mox omnis illa dubitatio uersa est in credulitatem, scandalum in fidelitatem, illusio in admirationem. ⁷Et hec omnia ad Deo dilecti Iacobi declarandam celsitudinem gratie.

XVI. ¹Benigna itaque pietas et indulgentissima clementia misericordissimi Dei, qui ad se illam pertrahere uolebat, nigerrimum antrum pectoris eius clarificans et uitiiis omnibus purgans super candorem niuis dealbatam effecit. ²Que recto principalique spiritu confirmata, perhennis ablutione fontis sanctificata, Hismaelitice nigredinem cutis in candorem omnium commutauit bonarum uirtutum. ³Vere hec mutatio est dextere excelsi Dei. Spiritus enim sanctus quem uult adspirat, et inspiratum saluificat suaque replet gratia. ⁴O sancte misericordie Dei et imense pietatis eius noue uocationis mysterium! O mira operatio mirabilium rerum!

XVII. ¹Ob spem itaque uenie promerendam et salutem perpetuam adipiscendam, iubente iam illa beata muliere, delubra sunt demolita, simulachra deiecta, idola confracta; ²et domus illa, quae ante erat spurcitie et contaminationis, purgata aspersione hyssopi, uere inundationis templum factum est sanctificationis et in honorem Dei et uenerabilis Iacobi apostoli solemniter est consecratum. ³O fidele commercium! O felix sanctumque mercimonium, dum pro terreno fragilique palatio eterniter manens in celesti Hierusalem commutatur habitatio!

XVIII. ¹Gratuito autem clementissime miserationis Dei omnipotentis munere fidelibus concessum est ut una eademque die passionis et translationis eius sanctissima occurreret solempnitas, ut duplicato apostolici honoris gaudio multiplicaretur plenius et credentium deuotio. ²Tantam preterea salutiferam immutationem illa sancta conuersio gentibus eisdem attribuit ut, preeunte apostolica gratia relicto errore simulachrorum, ad agnitionem ueritatis unius Dei properare gauderent. ³In omnibus enim Iberie finibus diffusa et dilatata est extunc adeo ecclesia, diuine cognitionis soliditate fundata, ut in plenitudinem gratie celestis eundo de uirtute in uirtutem, Deo cooperante cotidie augmentaretur. ⁴Omnibus his rite hoc ordine perfectis, uir Dei Tesifon et beatissimi socii ipsius sedes sibi secundum sanctorum apostolorum qui eos miserant preceptum ad diuini cultus deligunt solemniter ministerium peragendum. ⁵Nam ipse in ciuitate Vergi resedit,

ceteris in propriis commanentibus locis, orationi semper et omni sanctitate intenti donec expleto laboris sui felici agone, premium susciperent bene promeritum

XIX. ¹Tu autem, inclita Gallicia, gaude que es ethymologia tui nominis feliciter potita, quia dulcedine celestis lactis uberius es enutrita. ²Exulta, inquam, et gaude, quia diuini gaudii meruistis esse particeps et splendore lucis mundi, amici Dei, reuerentissimi Iacobi apostoli es clarificata. ³Felix terra tua, tanta felicitate ditata, feliciter apostolico culmine sublimata, felicissimo uirtutis Dei roboris stabilita! Beata gens tua, que ad tantam arcem gratie est eleuata ut concessum sit ei a Deo possidere apostolum proprium et protectorem et specialem patronum! ⁴Beatus populus tuus, cui ex sacrosancto prouisoris sui tumulo fluunt incessanter celestia balsama et fragrant suauissime orationum sanctarum non deficientium aromata, ex quibus cotidie reficiendo pascitur et sine tabe saginatur.

XX. ¹Aue, beate et beatissime, iuste e iustissime, fili sublimis tonitruui, Iacobe piissime, amice Dei, lux mundi, iudex seculi, splendor perpetue lucis, qui salutifere dispensationis Dei munere cunctas ab Oriente usque ad Occidentem sol orbis terre illustrasti tenebras. ²Quando enim tibi famulata sunt elementa, mare, celum, terra, tunc illuxerunt diuine claritatis dono chorcationes tue orbi terre, dum ex Oriente in Occidentem per mare mirabili potentia diuine operationis uehebaris. ³O inenarrabilis theologe, insuperabilis testis perpetue ueritatis, inexpugnabilis assertor inuiolabilis fidei, pretiosissime Iacobe! Tu ante conspectum diuine glorie inreuerberatis adstans oculis in choro sanctorum innocentum inaccessibili splendore refulges, ubi iocundaris perpetua exultatione. ⁴Tu columpna es orthodoxe religionis super quam reclinatorium super quam reclinatorium consistit aureum; ad hoc in fundamento Dei domus super basem Xpistum consolidata, ut omnium imbecillium in se te inclinantium impossibilitates sustentet et foueat. ⁵Et quia quod nostris meritis adipisci nos apud Dominum posse difidimus, sancta intercessione assequi confidentes tua, quibus nulla digna est confessio, nulla satisfactio, nulla penitentia. ⁶Quippe contrito corde et humiliata mente oramus proni imploramus cernui uiscera amplissime pietatis tue, concessa tibi Dominica uoce potestate remittendi peccata, male commissa nostra dele, crimina terge, scelerum maculas abluere, exilis seruitutis nostre obsequia suscipe; ⁷et quamuis te non augeant nostra preconia, tamen offerimus, quia supplicatione tua mitissima confidimus posse prouenire nobis ad salutis eterne remedia. ⁸Preterea fisi multimode de sancte protectionis tue sanctissima gratia deposcimus suppliciter, ut glorificantes te glorifices; difidentes, ut filius Dei pacifices discordantibus. ⁹A fide Dei unitatem largiaris, inuocantes te protegas et robores,

memoriam tui celebrantes tuearis et confortes, requirentes te benignissime respicias et uisites, ut dum memineris nostri in beneplacito tuo, letemur perpetim sanctis tuis precibus cum Xpisto.

XXI. ¹Ecce uero perfectissime Dei amice Iacobe, excellentissime Dei martyr et apostole, te tacente in omnem terram exiit sonus tuus et in fines orbis terre uerba predicationis tue, quia in cunctis terrarum locis, quibus Xpisti auditum est nomen, tu possides perpetuum honorem. ²Nam radiis tue sancte claritatis, etiam ita extimas totius Xpistianitatis perlustrasti partes, ut ad sanctissima cum tremore et honore dicenda ossa tua fideliter concurrant. ³Siquidem et honorando et uenerabilissimo sepulchro emanat iugiter prelucidissimus fons innumerabilium sanitarum, de quo multimode species uariarum infirmitatum sepiissime dilute curantur. ⁴Nec tantum corporaliter, sed et spiritualiter gloriosius, clara ostensione cotidianis patefacit indiciis, pium se dilectoribus suis prebere auditum, ⁵dum leprosos omnium fedatos uarietate peccatorum curat, claudos a rectitudine uiarum Dei exorbitantes redintegrat, febres uitiorum diabolico algore torpentes expellit, surdis in lege Dei obturatum habentibus auditum aperit, ⁶cecis quoque claritatem mandatorum Dei intueri non ualentibus lucem restituit, ora ad Dei pronuncianda magnalia muta in laudibus Xpisti reserat. ⁷Sic miris mirandisque precellentissimi apostoli uirtutibus sperata prouenit credentibus indulgentia, quia prestantior est sanitas animarum quam corporum.

XXII. ¹Et non solum in hoc omni reuerentia excolendo, uerum in omnibus eius sancto nomine dicatis locis, diuina hec operatur pietas. ²Est namque in Neustrie partibus ecclesia sancte eius memorie sacrata, in qua ipsius gloriosissime uenerantur reliquie, Floriacensi sancti Benedicti subdita basilice, ubi tanta fieri cotidiana operatione nouimus miracula, quanta decet tantum operari apostolum que etiam alias in plurimis pretiosorum sufficerent basilicis sanctorum. ³Pro his omnibus gratias agimus tibi, sacrum uocabulum maiestatis, sancta Dei trinitas et unitas, inmensa maiestatis tue implorantes pietatem ut cum beato Iacobo apostolo uitam mereamur possidere perpetuam per infinita seculorum secula. Amen.

⁴Explicit translatio sancti Iacobi apostoli.